

Agebatur in Spiritu in desertum, et tentabatur.

✠ Lécctio sancti Evangélii secúndum Lucam

4, 1-13

In illo témpore:

¹ Iesus plenus Spíritu Sancto regréssus est ab Iordáne et agebátur in Spíritu in desértum ² diébus quadragínta et tentabátur a Diábolo.

Et nihil manducávit in diébus illis et, consummátis illis, esúriit.

³ Dixit autem illi Diábolus:

«Si Fílius Dei es, dic lápidi huic, ut panis fiat».

⁴ Et respóndit ad illum Iesus:

«Scriptum est: “Non in pane solo vivet homo”».

⁵ Et sústulit illum

et osténdit illi ómnia regna orbis terræ in moménto témporis;

⁶ et ait ei Diábolus:

«Tibi dabo potestátem hanc univérsam et glóriam illórum, quia mihi trádita est, et, cui volo, do illam:

⁷ tu ergo, si adoráveris coram me, erit tua omnis».

⁸ Et respóndens Iesus dixit illi:

«Scriptum est: “Dóminum Deum tuum adorábis et illi soli sérvies”».

⁹ Duxit autem illum in Ierúsalem

et státuit eum supra pinnam templi et dixit illi:

«Si Fílius Dei es, mitte te hinc deórsum.

- ¹⁰ Scriptum est enim:
“Angelis suis mandábit de te, ut consérvent te”
- ¹¹ et:
“In mánibus tollent te,
ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum”».
- ¹² Et respóndens Iesus ait illi:
«Dictum est:
“Non tentábis Dóminum Deum tuum”».
- ¹³ Et consummáta omni tentatióne,
Diábolus recéssit ab illo usque ad tempus.
- Verbum Dómini.